

lim esse consors et comes, imo dux itineris. Ita S. Hieronymus. Unde Chaldaeus verit: *Iste hinc dicit: Vadam etiam ego*. Alii, ut Theodoretus, Arias et Hugo, censent hanc vocem esse civium promiscue se ad iter offerentium, ut quisque eorum dicit: *Vadam etiam ego*. Unde Vatablus: *Dicent, ait, quamplurimi: Etiam ego vadam, vel ibo tecum; ut sit vox associantium se aliis pergentibus in Jerusalem, q. d. Plurimi, videntes alios tendere in Jerusalem, eorum comitatum ambient, eisque se aggregabunt, cum eisque iter capessent; unus enim dicit: Ibo et ego. Et alius: Et ego. Et tertius: Et ego; ideoque dicent singuli*.

Vers. 22.

Vers. 23.

22. ET GENTES ROBUSTE,—ac proinde nemini subesse, sed aliis dominari solite, jam colla submittentis Synagoga et Ecclesiae, ab illa regi ambient.

23. IN DIERIS ILLIS (scilicet fiet haec tam augusta, quam dico et praedico: *illis, inquam*), **IN QUIBUS APPREHENDENT DECUM** (id est plurimi: denarius enim, quia primus est post numeros singulares, qui *digitum* nuncupantur, eosque combinat et multiplicat; hinc multitudinis et universalitatis est symbolum. Sic *Levit. xx, 26*, «decem mulieres» vocantur mulierae, ita S. Cyrillus) **HOMINES EX OMNIBUS LINGUIS GENTIUM, ET APPREHENDENT FIMBRIAM VIRI IUDAEI, DICENTES: IBI MUS VOBISCUM; AUDIVIMUS ENIM QUONIAM DEUS VOBISCUM EST,—*q. d. Plurimi ex omnibus gentibus fiet proles tyti, ut cum Iudaeis unum Deum verum colant, ideoque statis festis ascendant in Jerusalem. Hoc inchoate verum fuit in Synagoga, ut censet Theodoretus. Sed plene et complete verificatur in Ecclesia, ut censet S. Hieronymus; pauci enim gentiles facti sunt iudaei, sed omnes pene facti sunt christiani: Propheta ergo hic a typo avolat ad antitypum, puta a Jerusalem ad Ecclesiam, ita tamen ut ad typum alludat, eumque obiter quasi perstringat, itaque miscet typum cum antitypo. Vide *Cap. IV et V*, quos praefixi Prophetis Majoribus. Quo circa per Iudaeum hic tum carnalem, tum potius spirituale et mysticum accepe, puta Apostolos primosque fideles, qui ex Iudaeis orti, vere fautores Iudaei, id est confidentes Deum et Messiam ab eo missum. His enim evangelizantibus magnoque zelo, sanctitate et miraculis praedicantibus adhererunt gentiles; quia ex iis cognoscere Deum esse cum illis. Ita S. Hieronymus, Cyrillus, Remigius et alii. Rursus S. Hieronymus per Iudaeum accipit Christum ortum ex tribu Juda, qui Deum acceptum et regnum non temporale, sed spirituale restituit, iuxta oraculum Jacobi *Genes. XLIX, 10*. Verum non solum Christum hic vocari Iudaeum, sed et Apostolos, patet ex eo quod dicitur in plurali: *«Ibimus vobiscum»*. *Sic Iudaeus accipitur mystice pro fideli et christiano, Rom. II, 28*, ubi dicitur: «Non enim qui in manifesto Iudaeus est, necque quas in manifesto in carne est circumcisio: sed qui in abscondito Iudaeus est, et circumcisio cordis in spiritu, non***

litera, » scilicet vera est, digna grataque Deo. Et *Philipp. III, 3*: «Nos enim sumus circumcisio (id est circumcisi, puta Iudaei), qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu. » Et *Apoc. II, 9*: «Blasphemaris ab his qui se dicunt Iudaeos (id est confidentes Deum Deique cultores) esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanae. »

Mystice, verus Iudaeus est religiosus Dei cultor, instituti sui observator; religionis, modestiae, pietatis, omnique virtutis speculum, quem dum saeculares vident, spiritu Dei insinecti ardentesque apprehendunt eius fimbriam, ut ejus institutum habitumque capessant, dicentes: *«Ibimus vobiscum; audivimus enim, » imo videmus, «quoniam Deus vobiscum est;» vos enim estis semet cui benedixit Dominus. Nihil equidem ita invenit saeculares ad statum perfectionis, atque eorum qui in eo degunt vita sancta et exemplaris. Unde videmus monasteria et Ordines, in quibus viget disciplina et religio, certam a plurimis ambiri, adeo ut multi repulsam patiantur: ea vero in quibus laxior est vita, negligi et destitui tam personis, quam alimentis. Non est enim magne, non lynx, non illex, qui validius ad se alliciat trabaque vel ferrea corda, quam sanctitas vite et exempli. Ita exemplo Victorini ad fidem, et S. Antonii ad mundi contemptum se aliosque plures illectos exarsisse narrat S. Augustinus lib. VIII *Confess.* cap. v, vi, vii et xi: «Facilis, inquit S. Leo serm. *De S. Laurentio*, sit ratio efficax ad suadendum; validiora sunt tamen exempla quam verba, et plenus est opere docere quam voce. » Quin et Seneca *epist. 6*: «Plus tibi, inquit, viva vox et convictus quam oratio procedunt: primum, quia homines plus oculis quam auribus credunt; deinde quia longum est iter per praecepta, breve et efficax per exempla. » Sic in Vitis martyrum crebro legimus, eorum fortitudine et alacritate spectantes illectos et incensos, sponte ad martyrium procurrisse. Sic S. Joanni Baptista haec dat elegia S. Bernardus, serm. *De Privilegiis Baptistae*: «Joannes parentum gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Evangelii principium, mortis expulsio, janua vitae, decus hominum, conversionis splendor, omnis justitiae principatus. » Idem hortatur sororem, lib. *De Modo bene vivendi*, cap. xvi, ut sibi ad imitandum proponat, ac a Deo postulet «humilitatem Christi, devotionem Petri, charitatem Joannis, obedientiam Abrahae, patientiam Isaac, tolerantiam Jacob, castitatem Joseph, mansuetudinem Moysi, constantiam Josue, benignitatem Samuelem, misericordiam David, abstinentiam Danielis, et caetera digna facta priorum Sanctorum. » Unde, inquit, in *Cont.* dicitur: «Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, filia principis! Que sunt autem calcamenta Ecclesiae, nisi exempla SS. Patrum, quibus in via hujus saeculi munimur, ut per omnes tribulationes calcamenta ista ambulet?»*

Mystice, vera religio patet religio.

CAPUT NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus populum suum et Babylone reducem, pauperem et afflictum consolatur promittendo primo, quod viciniae ejus hostes Syros, Tyrios et Philistaeos debellabit, illicque subjiciet. Secundo, vers. 9, quod Christum mittet salvatorem, qui matis et humilis, sedens super asinam quasi rex, Messias et triumphator Jerusalem ingreditur, ac sublatiis bellis pacem afferens dominabitur a mari usque ad mare, imo usque ad lacum inferni, ex quo vinclos suos educet, puta Patriarchas et limbo. Haec de causa mittet Apostolos per totum orbem, ut quasi arcus et gladii fortes, ac quasi jacula fulgurantia cum ipsis subigant, praeritum quia eos, aequae ac fideles pascet et roborabit S. Eucharistia, quae erit frumentum electorum, et vinum germinans virginis (1).

1. Onus verbi Domini in terra Hadrach, et Damasci requiescit ejus: quia Domini est oculus hominis, et omnium trium Israel. 2. Emath quoque in terminis ejus, et Tyrus, et Sidon: assumpserunt quippe sibi sapientiam valde. 3. Et edificavit Tyrus munitionem suam, et coaccervavit argentum quasi humum, et aurum ut lutum platearum. 4. Ecce

(1) Quae hoc capite et sequentibus continentur, plures haud equidem sanioris iudicii rationalistae interpretes, hinc recentioribus temporibus Zachariae adjudicaverunt, alii posteriorum hanc libri partem auctori antiquiori assignantes, ut Bertholdius (*Einleit.* seit. 1762); Rosenmüller (*Schöl. in Zachar.*); De Wette (*Lehrbuch der Hist. krit. Einleit.* § 250); Maurer (*Comment. in Minores Prophet.*). Alii seniori qui tempore Alexandri Magni, Antiochi Epiphanis, quinetaum regis Hyrcani, scripsisset, tribuentes; ut Eichornius (*Hebr. Propheten II*, seit. 445, et *Einleit.* § 605); Corrodi (*Beleuchtung des Bibel canons*, t. 8, 107); Paulus (*Comment. Z. N. T.* II, seit. 138, ff.). Omnes vel rebus ipsis quae hinc capitibus referuntur, vel stylo scribentibus ratione nituntur ut hanc vaticiniorum Zachariae partem illi abnegeant.

Porro, praecipuis inter plures alias probationes his exponimus, vel potius indignamus, quae hujusce partis authenticitatem plene et absolute vindicent. *Primo*, auctores Canonis Hebraeorum hanc posteriorem partem priori conjunxerunt. Atqui, nusquam in Scriptura sacra inveniuntur fragmenta a diversis auctoribus scripta, et deinde unico tamen auctori assignata. Adde auctores canonis fore eodem tempore quo Zacharias vixisse, facileque vaticinia quae ab ipso prolata fuerunt cognovisse; et praeterea nullam rationem habuisse: duas partes ex argumento diversim in unum collegisse. Attamen licet argumentum sit aliquatenus diversum, permultos tamen similitudinis et convenientiae characteres utraque pars praese fert, qui ex uno eodemque auctore utraque prodidisse argunt, ut infra ex adversariorum confesso probabimus.

Secundo, Prophetam qui ante captivitatem scripserant, saepius Messiae promissionem, mox imminenti Assyriorum et Chaldaeorum irruptionis praedictioni connectunt, in utraque parte vaticiniorum Zachariae, praedicta benedictiones suas per adventum suum Messias in homines effusus est, semper promissioni auxilii divini conjunguntur; quod Deus per Alexandri vel Machabeorum Victorias Judaeis collaturus est. Adde, quod flagella Prophetiae Judaicae non intentat nisi eo quod Messiam repererunt. Praeterea nulla regum expressa fit mentio, ut in prophetis quae ante captivitatem prodierunt, nullumque Israelis regni vestigium, quod vix explicari possit, si haec posterior pars ante hujus regni destructionem scripta fuisset.

XIV.

Tertio, e contra, si multo seriori tempore post captivitatem hanc partem assignes, v. g. temporis Alexandri Magni, etc., alii non minus graves exurgunt difficultates contra hujus sententiae auctores. Nam adversarios habent non solum historiam Canonis Judaeorum, ex qua constat minorum Prophetarum collectae multo ante Alexandri tempora in Canonem redacta fuisse, sed etiam multos rationalistas, et quidem peritissimos, ut Bertholdium, Rosenmüllerum, De Wette, etc., qui ex probationibus a critique severa mutatis evincunt hanc posteriorem partem non antiquiori tempore quam Joasi vel etiam Achaz aetate, assignandam esse.

Quarto, praeremissis quae ab adversariis ex ipsis vaticiniis producantur, ut vel antiquiori vel recentiori auctori illa tribuant, et quae cum certis quibusdam locorum singulorum interpretationibus nituntur, opportunius commendanda venient, ubi ad loca illa exponenda pervenerimus; haec contra styli hujus partis diversitatem ab illis protensam, ex Jahn (*Introduc. in libros sacros V. T.*) subjicimus, quae cum maximam partem veritatis sint observata, ait et ipse Rosenmüller, nostra facere haud dubitavimus.

Dicendi genus ab eo quod in octo prioribus libri capitibus regnat, adeo, inquit Rosenmüller, diversum est, ut neque ab iis neque qui totum librum ab uno eodemque auctore productum assentit. Quantum enima a capitum octo priorum stylo prosoico, languido, humili, discrepat sex reliquorum dicendi genus poeticon, grave, condensum, fervidum! Verum haec styli diversitas usquam diversa auctores arguit, ut recte observat Jahn; nam et *Hosae cap. I et II*, *psalmica*, et *cap. II et III*, atque *IV*, poetica oratione utitur; ubi eadem versatur discriminis ratio: nam post *Hosae cap. I et II*, ita quoque Zachariae cap. I-IV, symbola narrat, quae styli poeticon non ferunt. Zacharias primis octo capitibus monet et consolatur, et ubique fere de proxime instantibus loquitur; in ultimis sex capitibus autem multo remotiora praedicit, quibus styli poeticon magis congruit. Nihilominus ambas partes plura sunt communia, ut tropi et allegoriae minime exactae, et interdum rerum naturae non usquequaque respondentēs; symbola et visiones (symbolicae representationes), quae in prima parte frequentes sunt, recurrunt quoque cap. *III*; lingua a chaldaicis haud procul innumis, et passim durus-

23

Dominus possidebit eam, et percutiet in mari fortitudinem ejus, et hæc igni devorabitur. 5. Videbit Ascalon, et timebit; et Gaza, et delebit nimis: et Accaron, quoniam confusa est spes ejus: et peribit rex de Gaza, et Ascalon non habitabitur. 6. Et sedebit separator in Azoto, et disperdam superbiam Philistinorum. 7. Et auferam sanguinem ejus de ore ejus, et abominations ejus de medio dentium ejus, et relinquetur etiam ipse Deo nostro, et erit quasi dux in Juda, et Accaron quasi Jebuseus. 8. Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes et revertentes, et non transibit super eos ultra exactor: quia nunc vidi in oculis meis. 9. Exsulta satis, filia Sion; jubilata, filia Jerusalem: ECCE REX RUS VENIET TIBI JUSTUS, et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pulum filium asinae. 10. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, et equum de Jerusalem, et dissipabitur arcus belli: et loquetur pacem Gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a fluminibus usque ad fines terræ. 11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. 12. Convertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuntians duplicita reddam tibi. 13. Quoniam extendi mihi Judam quasi arcum, implevi Ephraim: et suscitabo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia: et te ponam te quasi gladium fortium. 14. Et Dominus Deus super eos videbitur; et exhibit ut fulgur, jaculum ejus: et Dominus Deus in tuba canet, et vadet in turbine Austri. 15. Dominus exercituum proteget eos: et devorabunt, et subicient lapidibus fundæ: et bibentes inebriabuntur quasi a vino, et replebuntur ut phialæ, et quasi cornua altaris. 16. Et salvabit eos Dominus Deus eorum in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elebuntur super terram ejus. 17. Quid enim bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum, et vinum germians virgines?

Vers. 1. 1. ONUS VERBI DOMINI IN TERRA HADRACH ET DAMASCI. — Quereres, quodnam hoc onus? Respondeo, onus est onerosa et minax prophetia, ut dixi Isai. xiii, 1, qua strages vel excidium alieni genti intentatur, ut hic intentatur Syris, Tyriis et Philistæis, quod reipsa peractum est, partim per Alexandrum Magnum. Hic enim teste Curtio lib. III et

enla; stylus quoque prime partis, ubi non narrantur symbola visionum, vehementior, et in secunda parte cap. xi, ubi symbola narrantur, humilior est. Imo plures quoque dictiones prime partis reocurrunt in secunda; conf. it., 14, cum ix, 9; n., 10, cum ix, 12, 13; vii, 14, cum ix, 8. Ipse quoque singularis legatus vel angelus qui n., 12-15; n., 1-7, et persona Jehovan loquitur, eandem personam induit, xi, 4-13, quod alias rarius observatur. Si quæpiam in prima parte obvia in secunda desiderantur, ratio est diversitas materie substratæ et eleoniosis: sic in secunda parte angeli non comparent, quia non narrantur visiones; notatio temporis 1, 7; vii, 1, deest in secunda parte, quia de ætate remota sermo est, ubi dubium moveri non poterat, annos post factum conscriptum fuisse vaticinium. Formule: Sic ait Jehova, factus est sermo Jehovæ, vel effatum Jehovæ, sermonibus popularibus prime partis magis conveniebant, quam posi secunde partis, cujus vehementiam infrogissent; quare non quidem prorsus desunt, sed rarius reocurrunt (n., 3, 10, 13, 16; xii, 8); alibi vero, ix, 1; xii, 1, permittuntur cum formulis: Prolatio seu sermo effati Jehovæ. Denique illa quoque monito n., 12, 15; iv, 9, 6, 13, obvia, eventus vaticinii agnitionem iri, veram sibi legationem divinam obtigisse, in secunda parte xi, 11 rursus legitur.

Qui plura desideraverit, adeat Jahn (Introductio in libros sacros V. T. in epitomen redacta, pag. 380), et Hongsten-

IV De Gestis Alexandri, ac Plutarcho in ejus Vita, cepit Damascus cum Darii thesauru, Padestinam, Syriam, Cyprum, totamque Phœniciam adeoque, Tyrum post obsidionem septem mensium vastaverunt et combussit, duoque civium milia crucifixit; partim per Machabeos, qui Syros et Philisteos subegerunt, eosque ad circumcissionem ac ju-

bergh (Beitrag zur Einleitung ins Alte Testament Band 1, seit. 361, ff.)

Hanc secundam classem sermonum Zachariæ in duas sectiones cum Kilber dividimus, unam de divino circa religionem consilio, cap. ix-xi; alteram de prærogativis Ecclesie Christi, cap. xii-xiv. Quam divisionem nostram factam, quia primum sensum litteralem cum liquido constat, excludimus, ut in notissubsequentibus indigitabimus.

Sermo primus consilium divinum tum circa religionem Christi, ix-xi, 7; tum circa religionem Dei exhibet. Consilium divinum circa religionem Christi, primo, quoad gentes Palestine vicinas, prædicitur Ierropi Alexandri Macedonis in Syriam, et expugnatio Tyri, id est, primo, consilium Dei quoad Syros, Tyrios et Sidonios castigandos, olim tamen ad Deum adductos, 4-4; secundo, idem respectu Philistorum; 5-7; tertio, secutura ex horum conversione securitas religionis. 8.

Secundo, quoad Hebræos Palestine incolas: quibus lætandi misteria proponitur, primo, ex adventu Christi salutis et clementie pleni, 9; secundo, ex ejusdem regno pacifico et amplissimo, 10; tertio, ex liberatione mortuis vivisque accedente, 11, 12; quarto, ex gentiliis per Apostolos additione, 13, 14; quinto, ex Ecclesie divina protectione et victoria, 15; sexto, salute et amplificatione, 16; septimo, abundantia, præsertim frumenti electorum, et vini germians virgines, 17.

daismum compulerunt, ut patet I Machab. cap. xi, vers. 59, ubi dicitur quod Antiochus « Simonem constituit ducenta terminis Tyri usque ad fines Egypti. Et exiit Jonathas, et perambulabat (quasi victor et dominator) trans flumen civitates: et congregatus est ad eum omnis exercitus Syrie in auxilium, et venit Ascalonem, et occurrunt ei honorifice de civitate. » Mox succedens et de prædatis Gazam, « perambulavit regionem usque Damascus. » Ita S. Cyrillus, Albertus, Hugo, Lyranus et a Castro. Hoc enim est proprie dictum onus, quod Deus hic Syris, Tyriis et Philisteis imponit. Verum quia hoc Machabeorum dominium non fuit plenum et diuturnum, sed modicum et modici temporis, nec per eos tota gens Syrorum, Tyrriorum et Philistinorum fuit conversa ad Deum et judaismum, hinc Propheta miscens hic typum antitypo avolat ad Christum, qui per Apostolos plene has aliasque gentes convertit, easque Deo et sibi per Evangelium subiecit. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Haymo, Clarus, Vatablus, Arias, Ribera, a Castro et alii (1).

Dices: Hæc gentium conversio ad Christum, justitiam et salutem, non fuit onus, sed ingens gratia et donum. Respondeo, læta hæc prophetia vocatur onus, primo, quia tristis et molesta erat ipsi mundo gentili, ipsisque Gentibus ante conversionem, utpote hostibus fidei, etque usque ad mortes et martyria multorum repugnantis. Unde Apostoli eas invaserunt instructi arcubus, gladiis et telis fulgurantibus, sed mysticis et spiritualibus, uti audiemus vers. 13, easque trucidaverunt dum infidelitatem, libidinem, crapulam omnemque impietatem in eis occiderunt, atque ex infidelibus fideles, ex incestis castos, ex ebriis sobrios, ex implis pios effecerunt. Ita S. Hieronymus. Addit Arias Evangelicam legem quam Apostoli gentibus conversis imposuerunt, esse onus, idque in se grave: tale enim est mortificatio passionum, refrœnitio cupiditalum, abstinètia, con-

Secundo.

(1) Observat Jahn in Append. hermeneut. fasc. 1, pag. 175 (ubi integrum hoc vaticinium diligentissime exposuit), vaticiniorum inscriptionem, כְּסֵא דְבַר יְהוָה מַסָּה דְבַר יְהוָה, onus verbi Domini, sequente particula ך (ut hic, כְּסֵא דְבַר יְהוָה, beerte, in terra), sive קָל (ut infra xii, 1), et ךַּל el (Malach. 1, 1), regionali aut persone, contra quam directum est vaticinium præpositus, reperiri tantummodo in prophetis scriptis illis, que post exilium essent consignata: in antiquioribus vero מסה onus, conjungi cum genitivo urbis, regionis aut populi ad quem eloquium spectabat, ut Jes. xii, 1; xxx, 1; xxxi, 1; xii, 1; 14; xxxi, 4; xxxi, 5; xxxi, 6; Malch. 1, 1, excepto unico loco Jes. xxi, 19 (כְּסֵא דְבַר יְהוָה מסה דְבַר יְהוָה), onus in Arabia), qui tamen et ipse dubius sit. Cum autem hæc verba onus verbi Domini alias inscriptioni tantum ac titulo inserviant, hoc loco de ipsa vaticinii substantia sunt, ac emittationem prophetieam constituunt cum modo: Pronuntiatio verbi Jova est in vel contra terram Chadrach. Sequitur enim altero versus hemistichio propositio causalis: Quia Jova est oculus, etc., que vix quadraret, si merus processisset titulus.

donatio injuriarum, amor inimicorum, contemp-tus mundi, etc.; sed quod per gratiam Christi fit leve, juxta id quod ipse promissit, Matth. cap. xi, 29: « Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Ubi nota: Solent Prophetæ de Christo vaticinari, non ex abrupto ad eum transire, sed gradatim, puta per res et historias sui ævi, quæ typus sunt Christi, quasi per gradus ad Christum ascendere, ideoque sensim ad eum ascendendo illas cum eo commiscant, et de utrisque simul eodem sermone loquuntur, illas ut typum obiter perstringendo, in Christo vero ut in scopo hærendo. Ita hic facit Zacharias, præsertim quia id facere cepit cap. præced. vers. ultimo. Porro id faciunt Prophetæ, ut ostendant consensionem et connexionem rerum legis veteris cum rebus legis novæ, nimirum omnia veteribus in figura configisse, ut ait Apostolus I Cor. cap. x, 11. Atque finem legis et Prophetarum esse Christum, utpote quem omnes adumbraverunt, et in quem ut soopum omnia terminentur et desinant. Unde S. Hieronymus: « Omnis hæc visio, inquit, sive pondus et onus verbi Domini, ut interpretatus est Aquila, ad vocationem Gentium et extruccionem Ecclesie pertinet. » Ad hanc enim e fabrica templi asurgit Propheta, in eamque ut antitypum desinit.

Hadrach—nomen est loci vicini Damasco; sed quis et ubi, incertum, præsertim quia de eo mire variant interpretes. Probabile est quod ex S. Hieronymo, Ptolemaeo, Guiljelmo Tyrio et aliis scribit Adrichomius in Descriptione Terræ sanctæ, pag. 75: « Adrach, ait, sive Hadrach, alias Adra, Adraon et Adratum, Coelestriæ oppidum est a Bostra 25 millibus distans, a quo etiam adjacens regio terra Adrach nuncupatur, de qua Zacharias prophetavit. Post Christi tempora urbs hæc episcopali sedè honestata archiepiscopo Bostrensi parebat. Atque quo tempore Occidentales christianis rerum in Palestina potiebantur, etiam vulgo civitas Bernardi dicta fuit. »

Perperam ergo Rabini per Hadrach accipiunt Messiam: eo quod ipse futurus sit חַד חַד, id est acer Gentibus; et ךַּל rach, id est mollis et placidus Judæis. Perperam quoque apud Septuaginta pro Hadrach legitur Sedrach.

Mystice S. Hieronymus: Verbum, inquit, Domini est Hadrach, hoc est chad, id est acre in peccatores, et rach, id est molle et clemens in justos. Rursus Hadrach est Judea, super quam et austeritatem suam Domini exereuit et clementiam; austeritatem in eos qui credere noluerunt, clementiam in illos qui cum Apostolis ad Deum per Christum sunt reversi. Damascus sunt Gentiles: in his est requies Domini. Damascus enim hebraice idem est quod bibens sanguinem, aut san-

Hadrach mystico quid?

guis ciliis, ut prior interpretatio creuntum populum significet, secunda crudelitati ejus ponentiam copulatam. Unde sequitur: « Quia Domini est oculus, » etc. Hæc S. Hieronymus. Hinc et Arabicus verit: *Revelatio Domini in terra Sedrach, et victimæ ejus erant Damasci.*

ET DAMASCI REQUIET EJUS. — Pronomen ejus refert omnis Domini quod præcessit, *g. d.* Hadrach et Damascus erunt requies oneris, quod hic enarro et vaticinor: aut Hadrach et Damasco incumbet, in eisque requiescet hoc calamitatum onus et pondus. Ita Albertus, Arias et Clarius. Perperam ergo Lyranus *ejus* refert ad Syriam, *g. d.* Syrie requies est in Damasco: in ea enim, quasi in metropoli sua robustissima et invicta, secure conquiescit. Nam Syrie nulla hic fit mentio (1).

Mystice, *ejus* referri potest ad *Domini* quod præcessit, *g. d.* Requies Domini erit Damascus, cum in ea ipse cognoscatur et coletur, Dominus per Evangelium requiescet in Damasco, quod factum est per S. Paulum aliosque Apostolos. Nam S. Paulus pergens Damascum, e celo tactus conversus est ad Christum, ac mox in Synagoga Damasci Christum predicare cepit, *Act. ix.* Unde Chaldaus verit: *Damascus convertetur ut sit de terra majestatis ejus, juxta illud S. Petri, epist. I, cap. iv, vers. 14:* « Quoniam quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est ejus spiritus super vos requiescit. » Hinc et Septuaginta vertunt: *Damasci sacrificium ejus.* Fuit enim Damascus nobilissima, antiquissima et opulentissima civitas, caput Syriæ, sex diebus distans a Jerusalem, in qua condicebantur celebres illi panni serici, vulgo dicti Damasceni; ac proinde illustris et gloriosa fuit ejus ad Christum et Ecclesiam conversio, ac in primis ipsa nobilitata fuit miraculosa conversione S. Pauli, ut jam dixi, et postea nativitate B. Joannis Damasceni.

DOMINI EST OCULUS. — Oculus Domini hic dupliciter accipi potest, scilicet activus et passivus, puta videns et visus. *Primo* ergo S. Hieronymus et Theodoretus de oculo activo sic exponunt, *g. d.* Domini oculus videt, curat et regit omnes homines, æque ac tribus Israel, ut scilicet impios puniat, pios tueatur et protegat. Unde Septuaginta vertunt: *Quia Dominus respicit homines, et omnes tribus Israel;* et Chaldaus: *Coram Domino manifesta sunt opera filiorum hominum, et sibi complacet in omnibus tribus Israel;* et Syrus: *Domino manifesti sunt homines, et omnes tribus Israel;* et Arabicus: *Domini intuitus est universos homines, et omnes tribus Israel.*

(1) « Et Damasci requiet ejus, » id est, diu et graviter divinus furor in illas civitates incumbet. Et revera Alexander in Syriam irrupturus Parthenonem cum exercitu præmisit Damascum, ubi regis Persarum thesauri et multi ex familia regis custodiebantur. Hærum omnium, perfidia præfecti Persarum adjutus, potius est, et hoc modo completum est, quod Deus per Zachariam hoc loco prædicat. (Ackermann.) Vide Calmetum ad hunc versum.

Secundo, de passivo sic exponunt Albertus, Hugo et Lyranus, *g. d.* Domini est, id est ad Dominum respicit oculus hominis: aut Domini est convertere ad se oculum hominis. Quocirca Arias verit: *Domini est oculus hominis.* Est metonymia: ponitur enim potentia pro objecto, puta oculus pro re visa quam oculus videt et respicit, qualis est hic Dominus. Unde alii ex hebræo clarius vertunt: *Ad Dominum est oculus hominis, g. d.* Dominus Deus est objectum in quod intendit et respicit oculus et mens omnis hominis, quanto magis tribuum Israel postulandum et obsecrandum Deum, ut puniat Damascenos et Philistæos, qui Israelem continuo affligunt. Quapropter Deus Israelem exaudiens plectet illos, imo Israël subjugabit, ideoque hoc eis onus imponet, quod per me Zachariam hic prænuntiat, *g. d.* Præmium spei Israël in Deum erit imperium in urbes et gentes finitimas. Hoc est quod ait Psaltes *Psal. cxxi, 2:* « Sicut oculi ancille in manibus domine suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec miseretur nostri. » Deus enim est monarcha, qui potest regna mutare, reges et tyrannos loco movere.

Mystice, Christus est oculus activus, qui respicit et curat omnium gentium salutem, æque ac tribuum Israel. Unde ad omnes misit Apostolos, qui eos converterent et salvarent. Et passivus, quia in eum ut salvatorem respiciunt oculi omnium hominum, sperantes ab eo gratiam omnique bonum. Quapropter de eo dixit Jacob *Gen. xlix, 40:* « Ipse erit expectatio tuum. » Et vers. 18: « Salutare tuum (id est Salvatorem tuum, puta Christum) exspectabo, Domine. » Et Aggæus *cap. ii, 8:* « Veniet desideratus cunctarum gentium: desiderium, id est desideratissimus.

2. EMATH QUOQUE IN TERMINIS EJUS, ET TYRUS ET SIDON. — Ita Biblia Romana. *Primo*, S. Hieronymus *ejus* refert ad Damascum, *g. d.* Emath quoque sita in terminis Damasci, onus ejus excipit, æque ac Tyrus et Sidon, Porro Emath, Tyrus et Sidon erant in terminis Damasci, non tam situ spatioso locorum, quam societate vindictæ: sicut *Galat. cap. iv, 25,* mons Sion dicitur monti Sina esse conjunctus, non loco, sed typo et significatione. Planius *ejus* refertur ad onus Domini, *g. d.* Onus Domini, requiescens in Damasco, pertinget quoque ad Emath, Tyrum, et Sidonem, ita ut hæc urbes inter limites et terminos hujus oneris Domini contineantur. Deus enim sibi, suoque oneri et vindictæ omnes hæc urbes subiget, ut in his sedeat quasi dominator, iudex et vindex scelerum. Ita Albertus, Hugo et alii. Emath vel est Antiochia, vel Epiphania, quam multi putant esse Alapiam, vulgo Aleppo. Vide dicta *Amos, cap. vi, 2.*

Mystice, *g. d.* Deus et Christus sibi per Apostolos subjicient Emath, Tyrum et Sidonem, illisque onus Evangelicæ legis imponet, ut illud in ip-

sis, æque ac in Damasco requiescat. Unde Chaldaus verit: *Emath quoque convertetur, ut sit de terra domus majestatis ejus, et Tyrus, et Sidon.* Ita S. Hieronymus et Theodoretus.

ASSUMPERUNT QUIPPÉ SIBI SAPIENTIAM VALDE. — Ita et Septuaginta vertunt in plurali. Jam vertunt in singulari, *quia sapiens fuit valde, scilicet Tyrus.* Porro *quippé* ponitur pro *quamvis, g. d.* Quamvis Tyrus et Sidon, omnesque Phœnices gloriarentur de sapientia, se nimirum primos invenisse et docuisse litteras, tamen hi ipsi cedent sapientiori Deo, cum eos per Alexandrum, et deinde per Machabeos subjugabit; ac Christo, cum eos ad suam fidem et Ecclesiam per Apostolos traducet. Sic *quippé, vel quoniam, ponitur pro quamvis, Ecod. cap. xiii, 17.* « Non duxit eos per viam terræ Philistiim, quia, » id est *quamvis, a vicina erat. » Psal. lxxvii, 19:* « Numquid poterit Deus parare mensam in deserto, quoniam, » id est *quamvis, a percussit petram, et fluxerunt aque. » Secundo et nervosius, quippé proprie ut causale accipias, g. d.* Quia Tyri et Sidonii sibi arrogarunt sapientiam, quasi per eam essent insuperabiles, hinc Deus ostendet eorum insipientiam, suaque sapientia eos debellabit et subjugabit, tum per Alexandrum et Machabeos, tum per Christum et Apostolos, juxta illud Apostoli *I Cor. cap. 1, 21:* « Quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo pro stultitia prædicationis salvos facere credentes. » Et vers. 23: « Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. »

Porro Phœnices, ac nominatim Tyrum, gloriari solere de sapientia, patet ex eo, quod jactarent se invenisse litteras. Unde Lucanus lib. III *Pharsal:*

Phœnices primi, famæ si creditor, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Et ex illo *Ezech. cap. xxviii, 3:* « Ecce sapientior es tu Daniele: omne secretum non est absconditum a te. In sapientia et prudentia tua fecisti tibi fortitudinem, et acquisivisti aurum. » Unde et de eo subdit Zacharias:

3. ET EDIFICAVIT TYRUS MUNITIONEM SUAM. — In hebræo est elegans paronomasia inter *צור tsor, et צורץ mator, g. d.* Tyrus edificavit Tyrum, puta rupes rupem, arx arcem, munitio munitioem. Tyrus enim dicta est hebraice *tsor* (unde Syrum *Tor, et Latium Tyrus*), id est rupes, quia in rupe, vel potius medio maris scopulo infidelicata erat munitissima, et quasi arx inexpugnabilis (1). Hæc fuit ejus sapientia humana, quia do-

(1) Antiqua Tyrus, observat Jahn ad hunc locum, quam Nebucadnezar expugnavit et evertit, in littore maris sita erat; nova autem deinde in insula, a continentem quatuor stadiorum freto divisa, restaurata fuit, et moenia ejus magnis lapideibus, gypso junctis, in ipsis insule littoribus extructa, fore ex mari ad altitudinem 150 pedum exurgerebant. Floruit sub imperio Persarum, qui Tyriorum classicus in bellis non raro utebatur.

mum sibi posuit in petra maris inaccessa, ideoque omnium regum copias et vires deridebat. Sed Deus hanc ejus sapientiam et superbiam deiecit, cum per Alexandrum Magnum eam cepit et vastavit.

ET COACERVAVIT ARGENTUM QUASI HUMEN. — Repsum in hebræo est anominalio inter *תבצר tibtsar, et עפר aphar, g. d.* Coacervavit sibi argentum quasi acervos arenæ, lutavit se argento quasi luto, pulverizavit argentum quasi pulverem, *g. d.* Tyrus suis mercibus et navibus tantum opum congestit, ut aurum et argentum in ea non pluris fieret quam pulvis et lutum platearum, propter immensam ejus copiam. Quocirca hoc suo auro conduxit milites plurimos, quibus confusa nullum timebat hostem.

4. ECCE DOMINUS POSSIDEBIT EAM. — Hebraice *Vers. 4.* *ירשתהויה* *iristeha*, quod est contrarie significationis. Unde *primo, verti potest: Dominus hereditabit, vel hereditate possidebit eam.* Ita Noster et Septuaginta. *Secundo: Dominus hereditate sua giciet, vel expellet eam.* Ita Chaldaus et Vatablus, quia scilicet ejus ingens expulsi sua urbe, arce, opibus, gloria, libertate et vita. Id factum est *primo, per Alexandrum Magnum, qui Tyrum post septem mensium obsidionem ingenti labore, æque ac animo, terra aggeribus, muri ducentis tremulis oppugnavit, ut narrat Plutarchus in ejus Vita, qui et addit prodigia cladis Tyri præmuntia: scilicet primo, Heruleum per quietem visum Alexandro, ex muro illi manus tendentem, invitantemque ad urbis ingressum. Secundo: Tyriorum multis, inquit, in somniis visus est Apollo, dicens se ad Alexandrum transire; neque enim sibi cordi esse ea, que in urbe agerentur: quocirca Tyri Apollinis, velut transfugæ, simulacrum catenis constrinxerunt, clavisque basi affixerunt. Tertio, Alexandro visus est Satyrus sibi altidere, quem cum conaretur corripere, subducebat se; tandem post multas preces et circumstantiones venit in manus ejus, quod vales interpretantes dixerunt: Tua est Tyrus. Satyrus enim grece dissecctum, idem est quod *ca, id est tua, rypoc, id est Tyrus.* Deinde Tyrus subacta est a Machabæis: nam tempore Christi Tyrus, Sidonii et Palestini parebant, vel conjuncti et associati erant Judæis, eorumque principum aut presidi, ut prædixit Ezechiel *cap. xxxvii, 28;* et satis colligitur ex *Aet. cap. xii, 20,* et ex eo quod Christus, qui personaliter tantum predicavit Judæis, quibus promissus erat, prædicaverit quoque Tyriis et Sidoniis, ut patet *Matth. cap. xv, 21, et Marc. cap. vii, 24.* Nimirum id Deus procuravit per Machabæorum posteros, ut hæc ratione sterneretur via Christo, qui in Tyro et Sidone erat predicaturus. Ita Albertus, Hugo, Lyranus, a Castro et alii. Porro Josippus filius Gorionis, lib. IV, cap. vii, scribit Aristobulum abnepotem Jude Machabæi, utpote ex fratre ejus Simone prognatum, expugnasse Tyrum. Unde*

Tis pre-
fata
vatabla
Tyr.

mystice significatur hic idololatriæ eversio in Tyro, ejusque ad Christum conversio: ita S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Rupertus, Vatablus, Ribera et alii.

Tria ro-
bra Ty-
ri dicitur
ta a
Christo.

Ubi nota, Prophetam hic docere tria fuisse in Tyro, quæ redderant eam inviolam, quasque maxime resistebat Christi Evangelio, scilicet sapientiam, opes et fortitudinem, eo quod tota erat circumdata mari, et tamen a Deo expugnandam, tum per Alexandrum, tum potius per Christum et Apostolos gladio verbi Dei, succisis ejus erroribus et vitis. Unde persistens in metaphora ait, eam devorandam igni, scilicet charitatis et Spiritus Sancti, quem Christus venit mittere in terram, et vehementer voluit accendi, *Luce*, cap. xii, 49. Ita S. Hieronymus. Porro quam incensum fuerit Tyrium in Christum amor et fides, patet ex pluribus martyribus, qui ibidem sub Dioeletiano cum suo episcopo Tyrannione leonibus, ursis, tauris et pardis obiecti, cum feræ sanctos attingere non audent, læto et hilari vultu extensis in cælum manibus oculisque, mente toti in Deum defixa, a carnificibus crudeliter jugulati sunt, uti narrat oculatus testis Eusebius Cæsariensis, lib. VIII *Histor.* vii et xiv, alias xv. Simile est quod narrat Theodoretus lib. III *Histor.* cap. vi, scilicet Cyrillo diacono Heliopoli in Phœnicia, eo quod insula confregisset, a Gentilibus sub Juliano Apostata dissectum fuisse ventrem, qui insuper exemplum ejus jecur more ferarum devorarent, sed mox Dei vindictam senserunt.

Tyrus ex
insula
facta pe-
ninsula.

PERCUTIT IN MARI FORTITUDINEM EJUS. — TYRUS enim in corde maris, ut ait Ezechiel cap. xxxviii, 2, sita, ejus erat domina et regina, sed Nabuchodonosor, et deinde Alexander obsidens eam, ut melius expugnaret, nulla saxorum, arborum aggerumque congerie comporiata, et in breve fretum conjecta, maris alveum implevit, et sicavit, itaque eam ab Oriente continenti conjunxit: atque ex insula fecit peninsulam, qualis etiamnum cernitur. Ita Curtius lib. IV, post initium; et Plinius lib. V, cap. xix; S. Hieronymus et alii. Vide dicta Isaiæ cap. xxiii, 4. Chaldaeus vertit: *Projiciet civitatis ejus in mare*. Hebraice *וְיָרֵד חֵל*, et fortitudinem, et divitiis significat (1).

(1) « Et hæc igni devorabitur. » Sic adimpleta fuit hæc propheta, narrante Q. Curtio lib. IV, cap. xv: « Tyrus, tot simul malis victi, alii supplices in templa confugiunt, alii foribus ædium oberatis occupant liberum moris arbitrium, nonnulli rursus in hostem, haud nulli tamen perituri. Magna pars summa teotorum obtinebat, saxa, et quiddam manibus suos dederat, ingerentes subeuntibus. Alexander, exoptis his qui in templo confugerant, omnes interfecit, ignemque tectis injici jubeat. Quantum sanguinis fusus sit, vel ex eo æstimari potest, quod intra munimenta urbis sex millia armorum trucidata sunt. Triste deinde spectaculum victoribus ira præbuit regis Duo milia, in quibus occidendis defecerat rabies, crucibus affixa per ingens littoris spatium pependerunt. »

3. (2) QUONIAM CONFUSA EST SPES EJUS, — quam Accaron habebat in Tyro, quod scilicet opem ferret sibi, utpote vicinæ et confederatæ. Hæc enim spes interibit intereunte Tyro.

Mystice, peribit spes Philistinorum, puta Gentilium, quæ sperabant se sua sapientia et viribus tutaturos sua idola, et gentilitium contra Christum et christianismum. Hæc enim cadet, quando videbunt ea averi ab Apostolis.

ET PERIBIT REX DE GAZA. — « Rex, » id est regulus, puta princeps. Olim enim principes urbium vocabantur reges. Hic regulus fuit Betis a Dario ultimo Persarum rege Gaza prefectus, quem Alexander, expugnata post bimestrem obsidionem Gaza, circum urbem raptari curavit, inquit Curtius lib. IV. Ita Albertus et Hugo. Adit Plutarchus in *Vita Alexandri*, omni capiendæ Gazæ ei datum: « Et circumcedenti, inquit, Gazam urbem Syriæ maximam, gleba a supervolante alie in humerum delapsa est. Avis in una machina considens, subito nervicis plagulis, quibus ad versandos utebantur fumes, est irretita. Hoc portentum Aristaridi prædictioni eventum habuit respondens. Nam accepit Alexander in humero vulnus, et urbem recepit. » Deinde Gazam expugnavit, et ab idolis expurgavit Simon, frater Judæ Machabæi, I *Machab.* cap. xiii, 43. Rursus Alexander Jannæus Simonis nepos, post annum obsidionem Gazam cepit et diruit, cum prius civis parim ædes suas incendissent, partim Saguntina rabie suismet manibus uxores et liberos interemissent, ne ad servitium et injuriam abstraherentur, uti narrat Josephus lib. XIII *Antiq.* cap. xxi.

Mystice, peribit de Gaza rex, scilicet infidelis, ut S. Hieronymus, diabolus, quia scilicet et Christus solus per suos fideles in ea regnabit. Proprie rex, id est deus, sive idolum Gaza fuit Marnas: unde ibidem celebre vult Marnæum, id est Marnæ fanum, quod S. Porphyrius urbis episcopus, Arcadio imperatore consentiente, anno Christi 401, combussit, monitus voce miraculosa pueri septennis, qui cum Syrus esset et græce nesciret, græca tamen lingua instinctus a Deo publice prolocutus, hæc edixit: « Urite templum

(2) Transit Propheta ad vicinos et federatos Philisteos, Hebræis maxime intensos, quibus et alii prophete exitium prædicant: cf. *Jesaj.* xiv, 29 et seq.; *Jerem.* xxvii, 4 et seq.; *Ezech.* xxv, 15 et seq.; *Amos* i, 6 et seq.; *et Sophon.* ii, 4 et seq. Qui hæc partem Zachariæ abjudicant, exinde concludunt aliam hæc scripsisse; nam, inquit, Phœnicem et Philistæam ferens non erat fortuna temporis Zachariæ, qualem supponit hujus partis auctor. Respondemus nullibi in hac posteriori parte constare hos populi summa rerum potius fuisse veluti ante captivitatem. Qui dicitur rex Gaza vers. 5, subiectus erat regi Persarum, qui *rex regum* appellari affectabat (cf. *Denick.* u, 36, 87; I *Esd.* vii, 12). Et si Propheta imminentes clades Tyris, Damascenis et Philistæ prædicat, non propter quod Israelitas male habebant, sed ut benevolentia Dei erga populum suum magis ac magis elucesceret.

Vers. 5.

Portus
cum ca-
panda
Gaza.Mystice,
rex Gaza
est Mar-
nas ido-
lum.

quod est intus usque ad solum: multa enim in eo gravia facta sunt, et maxime hominum sacrificia; et postquam fuerit combustum, expurgato loco statuit illic sanctam ecclesiam. Testificor enim coram Deo, non posse aliter fieri. Non enim ego sum qui loquor, sed qui est in me Christus. » Idipsum admirans Deumque glorificans, ita scribit S. Hieronymus lib. VII in *Isaiam*: « Hoc nostris temporibus videmus esse complectum: Serapium (Serapidis delubrum) Alexandria, et Marnæ templum Gazæ, in ecclesiis Domini surrexerunt. » Adjuvit hæc rem multum S. Chrysostomus, qui sedulo apud Arcadium imperatorem curavit, ut quæ in Phœnicia residua erant idola, penitus tollerentur, uti testatur Theodoretus lib. V *Histor.* cap. xxix. Ita factum est, ut Gazensis antea Marnæ addictissimi, eo sublati, ad Christum conversi sint, ad quod valde eos incitavit S. Porphyrii episcopi sanctitas et miracula, ut ex ejus Actis quæ conscripsit Marcus Diaconus Gazensis, enarrat Baronius anno Christi 398 et 401.

ASCALON NON HABITABITUR. — q. d. Ascalon plane desolabitur, adeo ut ibi futura sint pascea pecorum Judeorum, ut prædixit Sophonias cap. ii, 4 et 6. Ascalonem cepit Jonathas frater Judæ Machabæi, æque ac Accaronem et Azotum, quam etiam cum octo millibus incolarum igne combussit, ut patet I *Machab.* cap. x, 84 et seq. Postea tamen reedificata fuit; nam in ea dicitur natus Herodes infanticida, qui inde Ascalonia cognominatus est. Atque etiamnum hodie antiquum robur retinet, Saracenorū fortissimum propugnaculum est. Ejus muros cum Saladinus dirisset, Richardus Anglorum rex instauravit, ait ex Guiljelmo Tyrio Adrichomius in *Descriptione Terra sanctæ*, in *Ascalone*.

Mystice, q. d. Ascalon conversa ad Christum non habitabitur a paganis et infidelibus, a quibus antea habitabatur, sed a christianis. Unde alii videbuntur esse cives, et alia civitas, juxta illud Poetæ:

O domus antiqua quam dispari domino dominariis

Quam enim Ascalonitæ infideles olim infensi fuerint christianis, vel ex eo conjicere licet, quod de his scribit Theodoretus lib. III *Histor.* cap. vii, cum his frenata laxasset Julianus Apostata anno Domini 362: « Ascalone, inquit, et Gaza sacerdotum et virginum Deo dicatarum ventres discindunt, deinde faciunt hordeo, ac tandem eos porcis devorandos obijciunt. »

6. ET SEDEBIT SEPARATOR IN AZOTO. — Hebraice est *מַמְזֵר* *mamzer*, id est separator, alienus (a radice *זָר* *zur*, id est recessit, alienus vel extraneus fuit), indeque spurcius, ut vertit Vatablus qui scilicet extra matrimonium alieno patre natus, illud dividere et separare videtur. Jam primo, Albertus, Hugo et Lyranus censent hic notari Alexandrum Magnum, qui Azotum et Philistæos ceteros

Vers. 6.

Alexan-
drum Ma-
gnum apu-
tatis.

subjugavit. Ipse enim a multis censetur spurcius, quod Olympias mater eum non ex Philippo marito, uti ipsamet confessa est (unde et a Philippo quasi repudiata fuit), sed ex Nestabano mago, qui noctu se Jovem finxit, genuerit. Quocirca Alexander Jovis Hammonii filius credi et haberi voluit. Secundo, *mamzer* significat alienigenas et exteros, qui non erant oriundi ex Philistæis Azoti indigenis, quos proinde Philistæi vocabant mamzeres, id est alienos, spurios, æque ac faciebant Judæi, ut patet ex illo *Joen.* cap. viii, 41: « Nos ex fornicatione non sumus nati, » uti sunt Agarenii, ex Agar aliena et concubina geniti, quia nati sumus ex Sara uxore Abrahæ, ideoque æque ac ipse, « unum patrem habemus et colimus Deum. » Unde Septuaginta vertunt: *Habitabant alienigenæ in Azoto*, puta Græci sub Alexandro, postea Judæi sub Machabæis, q. d. Ascalon deserta manebit, non habitabitur: at Azotus habitabitur quidem, sed ab externis. Quocirca Chaldaeus vertit: *Habitabit domus Israel in Azoto, qui erant in ea sicut extranei qui non habent patrem* (1). Porro ante tempora Christi Judæos sparsos fuisse per Azotum et Philistæam, patet *Act.* cap. vii, 40. Paulo aliter vertit Pagninus: *Philistæus*, ait, *tanquam extraneus habitabit in Azoto*; quia scilicet non erit sui juris, uti fuit antea, sed sub jure et potestate Machabæorum et Judeorum. Denique, occiso Judæ Machabæo juxta Azotum a Bacchide, duce Demetrii, paulo post Azotum occupavit et incendiis Jonathas, frater Judæ, æque ac vicinas illi civitates: quo impetu templum Dagon, qui erat deus Azoti, et omnes qui in illud confugerant concremavit: juxta eandem vicem Apollonium, I *Machab.* cap. ix, x et xi. Separator ergo, sive *mamzer* Azoti fuit Jonathas.

Mystice, separator est Christus, inquit S. Hieronymus, qui separat oves ab hædis, pios ab impiis, electos a reprobis. Item christianus, qui se separat ab infidelibus, ut proinde ab eis per contemptum vocetur *mamzer*, id est separator, vel notus et spurcius: Christus enim et christiani, pulsus Gentilibus et gentilitio, occupaverunt Azotum totamque Philistæam. Ita Clarus et Vatablus. Primus Azoti prædicavit Evangelium Philippus diaconus, eo raptus a Spiritu Sancto, *Act.* cap. vii, vers. 40. Et est usque hodie Azotus, ait S. Hieronymus, non ignobile municipium. Postea habuit episcopum, qui nunc est suffraganeus Trevirensis.

7. ET AUFERAM SANGUINEM EJUS DE ORE EJUS. — Vers. 7. Sanguis hic dupliciter accipitur. Primo, pro mimis sanguinis et cadis, q. d. Auferam et compescam minas, quibus Azotif minabantur se effusuros, vel gloriabantur se effudisse sanguinem Judæorum et populi fidelis: quia illi eos subjeciam

(1) Forsan rectius dicitur hic notari quibus infamis plebis, vel veterani vllissimi Alexandri, quibus hanc urbem inhabitandam tradidit.

Mystice,
separator
est Chris-
tus.

et aggregabo. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Albertus, Hugo et Lyranus. Unde Septuaginta vertunt: *Auferam sanguinem eorum de ore illorum*: de Azotis enim Scriptura per enallagen nunc loquitur in singulari, quia erant populus unus et singularis, unde Hebraeus et Noster habent *ejus*: nunc in plurali, quia in populo plures erant homines et capita; unde Septuaginta vertunt, *illorum*. Minus enim probabile est quod censet Lyranus *ejus* referri ad separatorem sive mazerem, quem ipse accipit Alexandrum Magnum, q. d. Auferam minas de ore Alexandri, scilicet quibus jactabat se Judeos, quod Dario hosti suo favissent, eversurum: nam faciam ut supplex fiat Jaddo pontifici, ac consequenter benevolus Judeis. Non enim de Judaea hic agitur, sed de Azoto.

Secundo, sanguis hic potest accipi victimarum, quas Dagon deo suo offerebant, ac deinde ex his comedebat et epulabantur, q. d. Auferam haec sacra et sacrificia sacrilega ab Azoto, et in eam inducam sacra mea, primum judaica per Machabaeos, deinde christiana per Philippum et Apostolos. Ita Arias et Chaldaeus. Et *disperdam*, ait, *comedentes sanguinem*. Huic explicationi favet id quod sequitur: *Et abominaciones ejus de medio dentium ejus*. Abominaciones enim in Scriptura vocantur idola, et idolothyta, sive victimae idolis immolatae (1). Unde et sequitur:

Et relinquetur etiam ipse deo nostro (2). — « Ipse, » scilicet Alexander Magnus, fiet devotus Deo, ejusque pontifici Jaddo, inquit Lyranus. Verum ipse, » ut dixi, refert populum Azoti, q. d. Populus Azoti subiectus a Jonathae et Machabaeis, relinquetur idola et aggregabitur Judeis, eorumque Deum verum colet. Hoc enim maxime curabat Machabaei, utpote pontifices et principes zelo honoris divini pleni; ut non tantum terminos, sed et religionem suae gentis, Deique cultum in Philistaeos aliosque populos a se devictos propagarent. Imo populus Azoti « erit quasi dux » (Septuaginta, *chilarchus*) in Juda, qui scilicet verae fidei et religionis non tantum comitem, sed et ducem se alius praebat, ac proinde Judaeos contra hostes propugnare quasi dux, ideoque quasi dux honoratur et celebratur in Juda.

Et Accaron quasi Jebuseus. — q. d. Sicut olim Jebusei habitaverunt in Jerusalem, ibique cum

(1) Cum hoc versu promittitur conversio Philistaeorum ad Deum verum sequentibus temporibus, sensus supra expressus prior est anteponendus; nam, ut notat Ackermann, etiam sanguinem victimarum ethnici orientales biberant primum, et cum aqua mixtum; quod Hebraeus sub poena capitali iteratis vicibus interdicitur fuit, *Levit. iii, 17*; *vi, 26*; *xvii, 16, 12*. Caterum, cum Philistaeos etiam ad Jovis cultum convertendos dicit, non obscure significat id esse de omnibus intelligendum, quod dicit de uno.

(2) Quae sequuntur usque ad finem versus sunt verba Prophetae parentesi includenda; nam vers. 8 continuatur sermo Dei, qui post primum vers. 2 membrum abruptus fuit.

Judeis permanserunt, ita pariter Accaronites sociabuntur Judeis et habitabunt in Jerusalem, ac vicissim Judaei pacifice degent in Accaron. Unde Chaldaeus vertit: *Et proselyti qui remanserint in eis, adjicientur et ipsi ad populum Dei nostri, et erunt quasi principes domus Juda* (3). *Secundo* et melius, q. d. Sicut David subiecit Jebuseos, sic Machabaei subiecient sibi Accaronitas. Ita Albertus et Hugo.

Mystice, haec veriora sunt de Christo et Apostolis, qui Philistaeos omnes sibi, Evangelio et Ecclesiae subiecerunt, itaque fecerunt ut Philistaei et Gentiles cum Judeis in unum populum fidelem, unamque Ecclesiam christianam coalescerent et conspirarent.

8. *ET CIRCUMDABO DOMUM MEAM*. — puta templum, *Vers. 8. q. d. Templum quod meo jussu vos, o Judei, nunc reedificatis, ego instar castrorum vallabo et tutabor*. Hebraice enim est *חָנַתִּי* *chaniti*; hoc est, *castrametabor domui meae*, vel *ponam castra circa domum meam*, ut eam propugnem, « ex his, qui militant mihi euntes et revertentes, » puta per Machabaeos, qui fortissime templum et urbem sanctam in suis castris propugnauerunt. Unde Septuaginta vertunt: *Substituiam domui meae elevationem quasi arcem vel castrum, ne pertranseat neque revertatur ullus, et non superveniat super eos ultra exactor; et Tigrina: Et circumduducam castrum domui meae contra transurrentem, et redeuntem; et Pagninus: Et ero sicut castra domui meae, ut non timeat ab exercitu, a transiente et redeunte*. Paraphrasticè vero et magnifice Chaldaeus: *Et habitare faciam majestatem gloriae meae in domo sanctuarii mei, et fortitudo brachii potentia mea erit sicut murus ignis in circuitu ejus, propter transientes et redeuntes*.

Haec ad litteram templo praestiterunt Machabaei. Ita Theodoretus, Hugo et Lyranus. Allegorice, haec veriora sunt in Ecclesia, quae est templum animatum Dei viventis, q. d. Muniam et defendam Ecclesiam meam validissimis castris, tum principum christianorum, ut Constantini, Theodosii, Caroli; tum doctorum, ut S. Augustini, Hieronymi, Chrysostomi; tum angelorum, ut exactor tributi, scilicet tyranni, infideles et dia-

(3) Vehementer dubitamus, inquit Rosenmüller, hoc valem voluisse, cum illo tempore Jebusei cum Judeis una habitarent contra Jovae voluntatem, qui eos exstirpari jussisset, et in detrimentum tribus Jude, cujus viri crederet quod tenebatur a Jebusitis. Quae cum ita sint, nomine *Jebuseus* roentiores potius Hierosolymitanos, qui vati coevi erant, indicari existimamus, ut sensus sit, parem futuram esse *Excursionem* et Hierosolymitanorum, civium principis urbis Judaeae, et Hierosolymitanorum, Philistaeos (conversos) et Hierosolymitanos dictos *Jebuseos*; cum nullo possit exemplo probari, *revertentes Hierosolymitanos* dictos *Jebuseos* esse. Intelligendi Jebusei proprie dicti, sique tunc temporis viventes inter Hebraeos eorumque sub imperium redacti (cf. *I Sam. xxv, 16* et seqq.; *I Reg. ix, 20* et seqq.).

bolus eam amplius non vexent et vastent; quia oculis misericordiae eam vidi, et respexi, juxta illud *Psalm. xxxiii, 8*: « Immettet (hebraice *chone*, id est *castrametabitur*) angelus Domini in circuitu timentium eum, et eripiet eos. » Nota *et ex his qui militant mihi*, dupliciter posse accipi: *primo* quia, *militi*, id est pro me; *secundo*, *militi*, id est contra me. Ita Septuaginta, Chaldaeus, Pagninus et Tigrina ex hebraeo.

QUA NUNC VIDI IN OCVLLIS MEIS. — Est hebraismus, pro quo latine dicimus: « Vidi oculis meis, » id est plane, perspicue certoque vidi et conspexi, scilicet arumnas et persecutiones, quas vos, o Judei, a vicinis gentibus in fabrica templi et urbis sustinetis, ideoque vestri misertus vos, aequè ac domum meam, puta templum, protegam et propugnabo. Ita Theodoretus, Albertus et Lyranus. Aliter Vatablus, q. d. Nunc vidi ea quae facturus sum, quaeque hic promitto de felicitate templi et Ecclesiae; vidi, inquam, previdi et providi oculis providentiae meae. Aliter et Arias, qui haec refert ad sequentia, censetque esse verba Zachariae, q. d. En video in spiritu oculis mentis meae Christum venientem, et cum pompa ingredientem Jerusalem et templum. Primus sensus uti communis, ita planus est et genuinus.

9. *EXSULTA SATIS, FILIA SION*. — Judei nonnulli haec accipiunt de victorioso Juda Machabaei ingressu in Jerusalem. Theodorus Mopsuestenus judaizans et ebionizans, asserbat hunc regem esse Zorobabelem cum suis e Babylone redeuntem. Uterque est error. Nam certum est de fide, ad litteram haec accipi de solemnibus Christi, quasi Messiae Judaeis promissi, ingressu in Jerusalem, quem fecit paulo ante mortem in die Palmarum. De eo enim haec interpretantur S. Matthaeus cap. xxi, 4, et S. Joannes cap. xii, 45, ac orthodoxi omnes; quibus et veteres Rabbinii apud Galatinum lib. VIII, cap. ix; imo et R. Salomon hic, qui tamen est juratus christianorum hostis. Idipsum definit Vigilius Papa in Concilio Romano, ubi hunc Theodori errorem sub anathemate damnat. Vide dicta in Proemio notat. 5. Errant ergo pariter, qui hunc regem volunt esse Alexandrum Magnum, honorifice venientem Hierosolymam et venerantem Jaddo pontificem: Zacharias enim, mox Prophetarum, in Christum desinit. Cum enim suos exhortaretur, ad fabricam templi et urbis, lique tioribus essent ad opus ob hostes vicinos, et ob pauperum aliasque difficultates esse objicientes, hoc de causa eos animat et stimulat: *primo*, promittendo Dei auxilium et protectionem; *secundo*, templum hoc Dei auxilio fore celebre et gloriosum; *tertio*, Messiam venturum, qui in hoc templum sollemni pompa sit ingressurus, illudque sua praesentia, doctrina, miraculis, aequè ac sua in regem inauguratione sit condecoraturus, ibique Ecclesiam suam fundaturus et inchoaturus, per quam primum Judaeos, deinde Gentes omnes vocaturus sit ad aeternam vitam et gloriam. Haec

est connexio hujus prophetae de Christo cum praecedentibus de templi et urbis fabrica ac tutela (1).

Jam « satis, » id est valde, vehementer, hoc enim est hebraice *תַּמְּךָ מְדַבֵּר*, pro quo Noster subinde vertit, « satis, » Unde Chaldaeus vertit: *Exsulta vehementer, catus Sion; jubilat catus Jerusalem*. Sic et Septuaginta, Tigrina, Pagninus, Vatablus, atque alii. Pro *exsulta* S. Joannes cap. xii, 45, paraphrasticè vertit: « Noli timere, » q. d. Non est quod timeas, sed exsultes, o Jerusalem, veniente Christo; ipse enim est tuus rex et salvator, qui te ab omnibus hostibus defendet, et ab omnibus malis liberabit. Ergo metum omnem pone, et plenus gaudio exsulta.

ECCE REX TUUS. — Messias, sive Christus veniet, ut quatuor quadragis, id est monarchias, de quibus cap. vi, ac consequenter, Tyrum, Gazam, Azolum, totamque Palaestinam, Phoeniciam et Syriam, de quibus egit hoc cap. sibi subigat. Nam in Christi regnum omnes reges et regna desinunt, uti praedixit Daniel cap. i, 44, et Zacharias hic. Unde subdit: « Disperdam quadragim, » etc.

Nota: Christus regalem hanc, sibiique insolentam pompam et ingressum in Jerusalem adorare voluit variis de causis. *Prima* fuit, ut daret regiae suae potentiae et magnificentiae indicium quoddam et specimen; quia cum ea Messiam suum, quasi alterum Salomonem venturum Judaei putabant, et etiamnum putant. Haec ergo specie et pompa obiecti se eis Christus, ne eum ut pauperem aversarentur et despicerent, uti fecerunt: ita tamen ut humilitatis et mansuetudinis mixtis argumentis ostenderet, regnum Messiae magis esse spirituale, quam temporale, ideoque a Zacharia haec voluit omnia praedici, ne Judei hunc regem sine fastu regio venientem aspernerentur. Ita S. Chrysostomus et Auctor *Imperfecti* in cap. xxi *Matth.*, et Eusebius lib. VIII *Demonstr.* cap. iv. *Secunda*, et comitans causa fuit, ut Christus objiceret phariseis et scribis in hoc regali ingressu seipsum, quem agnosceret hoc facto possent et deberent esse Messiam, utpote a Zacharia hoc loco promissum et praedictum: sciebat tamen ipsos inde magis exacerbandos, et necem crucis ipsi machinatos; quod ipse permittente statuit, ut sic mortis adeo expellite compos fieret, per

(1) Q. d. Non his contentus, quae hactenus dixi, me vos liberaturum ac viadicaturum ab omnibus inimicis in circuitu existentibus, et hoc plenum laetitia addo de meo esse debet. Habet hic confidentes Judaeos et rationalistas. Hoc regem vero recte observat Jarchi, ait Rosenmüller, nullum alium posse intelligi, nisi Messiam: Talem enim regem, inquit, cujus dominatio, ut vers. 10 dicitur, ab uno mari ad alterum se extendit, non invenimus Israel sub templo secundo fuisse. « Tom altius assurgens Propheta, ait et ipse Maurer, nulla, inquit, posthac irruptiones in terram populi Israelitici fient amplius; veniet rex optimus maximus, Messias, paucum daturus orbis terrarum, dominaturus longe lateque. »

etiamque nos redimeret. Ita Auctor Imperfecti loco citato. Tertia fuit, ut responderet typo agni Paschalis, hic enim decimo die mensis primi solamni pompa induebatur in urbem, immolans die decimo quarto. Ita Christus, quasi Agnus Dei qui tollit peccata mundi, die decimo, puta in die Palmiarum ingressus est Jerusalem, immolans die decimo quarto; ingressus est autem cum pompa et faustis turbe acclamationibus, ut quia certus erat de victoria mortis, peccati, inferni et demonum, triumphum duello præciperet, et triumphans duellum iniret.

Quarta. Quarta causa fuit tropologica, ut scilicet hoc facto rideret et ridendam proponeret mundi gloriam, utpote cum seiret se quinto post die ab iisdem, a quibus in ingressu ita honorabatur, crucifigendum, eodemque qui iam clamabant: « Hosanna filio David, » q. d. Vivat rex noster Messias, Davidis filius et hæres; post quatuor dies in tribunali Pilati clamatorios: « Crucifige, crucifige eum; » ideoque urbem a Tito et Romanis funditus evertendam, qua de causa in hoc, leto licet ingressu suo, videns eam, ejusque cladem prævidens levit, ut habet S. Lucas cap. xix, 41. Quinta. Rursus, ut doceret sumum, sui que sequacium regnum et gloriam in hac vita consistere in passione et cruce, ideoque eam non aversandam, sed ambiendam esse, ac leto animo et solenni cum pompa adendum: quocirca martyres Christi assecle, ad martyria quasi ad epulas, imo regnum et triumphum ibant gaudentes, albat et stipati fidelium choro.

VENIT TIBI JUSTUS ET SALVATOR, — ut te justificet et salvet. Ipse enim est « justitia sempiterna et Sanctus Sanctorum, » ad hoc a Deo Patre missus in mundum, « ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, » Daniel. cap. ix, 24. Pro salvatore hebraice est נִשְׁעָה נֹשְׂפָה, quod est participium passive a radice נִשְׂעָה, id est salvavit. Unde Vatablus, Pagninus, Clarus et alii vertunt passive salvatus, scilicet a seipso, q. d. Quia Christus justus et innocens actus est in cruce et morte, idcirco sua virtute salvus et redivivus, die tertia a morte et sepulcro resurrexit. Alii נֹשְׂפָה melius vertunt, salute plenus, salute circumdatus. Ita ex Clario, a Castro. Verum dico, נֹשְׂפָה hic non esse participium, sed nomen, idem active significans quod Jesu, Josue et Jesus, id est salvator. Sic enim vertunt Septuaginta, S. Hieronymus, Tigurina et alii; littera enim נִּיּ in נֹשְׂפָה, est heemantica et formativa nominis, uti est in Nephthal, Nemrod alisque nominibus propriis, æque ac appellativis, ut נִּיּ נֶמְסָן, idem est quod fidelis activus, qui scilicet fidem alteri datam opere prestat: נֹשְׂפָה נֹשְׂפָה est perversus active, qui nimirum perversa cogitat, agit, loquitur, aliosque pervertit (1).

(1) Rosenmüller postquam notavit נֹשְׂפָה נֹשְׂפָה, Alexan-

IPSE PAUPER. — Hoc proprie significat hebreum אָנִי אֲנִי; Septuaginta vero, quos sequitur S. Mattheus cap. xxi, vertunt πτωχός; id est mansuetus. Sic et Chaldeus. Unde ipsi videntur legisse אָנִי אֲנִי; sed eodem res redit: pauperes enim, presertim spiritu, solet esse humiles et mansueti. Unde tam אָנִי quam אֲנִי ab eadem radice עָנָה, id est afflicti, humiliati est, deducitur; indeque אָנִי אֲנִי, idem est quod afflicti, pauperes, humilitas; et אָנִי אֲנִי אֲנִי, vocatur humilitas et mansuetudo. Unde cum ait Christus: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum, » Math. v, per pauperes spiritu S. Augustinus, Bilaris, Chrysostomus, Ambrosius et alii in illum locum, accipiunt humiles, quia paupertas spiritus conjuncta est, et oritur ex humilitate et contemptu opum et honorum.

ASCENDENS (Hebraice רוּחַ רֹכֵב, id est equitans, vel polius vectus, sive equo, sive asino, sive camelo, sive alio jumento, uti Christus hic proprie erat asinus, non equitans. Unde Nosler recte vertit: « Ascendens » SUPER ASINAM, ET SUPER PULLUM FILIUM ASINAE. — Hebraice, filium asinarum, id est unius ex asinis. Pro asinam hebraice est חֲמֹר חֲמֹר, quod tam asinum quam asinam significat. Verum hic significari asinum potius quam asinum, patet ex eo quod sequitur: « Et pullum filium asinae; » pulli enim solet comitari asinam matrem, non asinum patrem; sugunt enim ubera matris, non patris. Clarum est ergo Christum sedisse super asinam, non asinum. Ita enim habet Versio nostra hic, et S. Mattheus, cap. xxi, 3. Idem docent Remigius, Albertus, Hugo hic, et S. Chrysostomus hom. 63 in Joannem, Theophylactus, Lyranus, Cajetanus et alii mox citandi. Notat Origenes in cap. 1 Job, in Arabia et Palestina asinos pares esse equis in velocitate eundi et redeundi, et valere ad negotia peragenda et afferenda, eademque officia prestare, que apud nos prestant muli et equi. Hinc filii principum asinis inequitabant, ut patet Judic. cap. x, 4, et cap. xii, 14. Vide dicta Exod. cap. xiii, 13. Usus autem est Christus asina potius quam asino, tum ob mysterium quod mox afferam,

drinum vertisse אֲנִי, Hieronymum, salvator, Chaldeum et Syrum, ereptorem, liberatorem, et addidit alia clara verba passiva esse, que activam obtinent significationem, ut videtur in Storrii Observati. ad Analog. et Syncl. Hebr. pag. 428 et seqq; his non obstantibus vertit nospa, salvatus; neque enim hoc solo loco a certo loquendi usu recedendum, nec dubium, valem cogitasse, magnum illum de quo loquitur, regem e magno discrimine ereptum, atque singulari divino auxilio adaptatum. At præter consensum antiquorum interpretum, qui omnes active vertunt, inficiari nemo potest, ait Ackermann, formam niktal sæpius active usurpari, etiamque non raro polere significatione reciproca, quam hoc loco jam Vatablus et Drusus ei tribuerunt, vertentes, servans se; quare interpretatio נֹשְׂפָה נֹשְׂפָה, quam in versione Septuaginta et Vulgati conspiciamus, haud leviter est rejicienda; quare et recentissimi interpretes Veteris Testamenti Augusti et de Wette nospa vertunt, servator. (Kettler.)

Christus sedisse super asinum et pullum asinæ.

tum quod asinus sit pigrior, et in remissione operis deterior, ut scribit Plinius lib. VIII, cap. xliii, tibi et addit, asinos valere pro aratione, sed maxime pro mularum generatione (1).

Quæres, quomodo Christus simul potuit ascendere super asinam et super pullum asinae? Respondent S. Hieronymus, Chrysostomus, Euthymius, Maldonatus, Abulensis et Jansenius in Math. xxi, esse synecdochen: Christum enim super alterum tantum, scilicet super pullum, ut habent alii tres Evangelistæ, sedisse. Sic enim legunt: « Super asinum, et super pullum filium asinae. » Et, inquit, significat, id est, q. d. Super asinum, id est super pullum filium asinae. Unde minus probabile est quod aliqui censent, Christum soli asinae insedisse. Verum planius et simplicius idem Chrysostomus, Theophylactus, Lyranus, Cajetanus, Ribera et a Castro, censent Christum super utrumque sedisse, sed successive. Id enim expresse habet S. Mattheus cap. xxi, 3, et Zacharias hic. Unde et turbe utrique vestimenta imposuerunt, et eum « super eos, » ut habent Biblia Romana in S. Mattheo, sedere fecerunt.

Dices: Quid opus erat Christo tam brevi spatio et itinere jumentum mutare? Respondeo id fuisse opus non ob Christi molliorem aut fatigationem, sed ob mysterium: illi enim omnis hæc pompa serviebat; cui tamen Christo facile fuit occasionem aliquam incidentem prætexere. Asina enim subjugalis significat populum Judæorum qui tolerat jugum legis veteris; pullus super quem nemo sederal, representat indomitos et exteque Gentiles, qui nulli legi colla submiserant. Utrumque enim populum, tam Gentium quam Judæorum, ad se et Ecclesiam, ac deinde in caelestem Jerusalem adducturus erat Christus. Ita S. Justinus Contra Tryphonem. Origenes et Cyrillus in Joan. xii. Mystice, Christus insidet asinae, id est animæ humili, miti, obedienti, patienti, que se totam Christo sessori resignat, ac cum Davide dicit: « Ut jumentum factus sum apud te, » Psal. lxxii, que proinde cum Christum rectorem habet, exsultat, omniaque audet. Unde abbas ille in Vita Patrum dicebat: « Ego et asinus unum sumus. »

Tropologicè Drogo Hostiensis episcopus tempore S. Bernardi, tract. De Sacram. Domin. passionis, tom. II Biblioth. SS. Patrum: « Noli timere, filia Sion. Timere, ait, pusillorum est; ideo adhuc filia, quia timens. Nondum Jerusalem, sed filia Sion, hoc est specula. Ergo disce speculari, noli timere, quia timor oculum turbat. Hilari pupilla lucide speculatur. Fides pupilla est oculi tui.

(1) Quod asino vehi Messias dicitur, ait Ackermann, non tam humilitatem et modestiam ejus, quam pauci studium significat, quod et sequentia illustret. Nam asinis pacè velantur (Jud. v, 10), bello armantur equi (Virgil. Æneid. III, 540). Et sic solvitur objectio a Maner facta, imaginem humilitatis esse vehi asino non posse nilo exemplo probari. Utebantur enim asini (asina maxime) sine discrimine nobiles atque ignobiles.

Quomodo pupilla oculi est subtilissima, et nisi impigre ac sollicitè custodiatur a palpebris, levissimi et tenuissimi pulveris tactu confunditur; sic acie fidei, nisi pervigiliter semper habeat custodiam, nihil elitus conturbatur. Sed noli timere, filia Sion, ecce rex tuus venit tibi. Oriuntur tibi sol, qui te et custodiat et illuminet, et perducit tibi pulvis non est. Venit tibi mansuetus: qualis ipse est, talem te esse vult: mansuesce jugum ejus portare. Et ipse sedet super te asinam suam, et pullum filium subjugalis. Et que est hæc asina? Ipsa que caro vocatur et mulier, et virago, quia de viro sumpta est. Et quis est pullus ejus? Masculus vir. Et quomodo pullus ejus est? Quia non prius quod spirituale. Sedet prius rex mansuetus, deinde quod spirituale. Sedet prius rex mansuetus super asinam; postea super pullum: prius caro domatur, ut jugo habilis sit; deinde nascitur pullus et nutritur, et roboratur, ut sessorum suum portare possit. Et quare filius subjugalis? Quia sub viro est mulier, et mulieris caput viri; et mater filius est subjugalis, quia per mulierem vir, sed in dolore ipsa parit. Sedet super utrumque rex mansuetus faciens pacem, hæc sibi invicem adversentur. Venit ille mansuetus, et tu non vadis ei? Egredere de terra carnis tue, et de cognitione matris tue, et de domo, id est memoria patris tui. Asina ergo est caro, pullus est mens et spiritus: hic enim est Adam et vir, illa vero Eva et femina. Christus super utrumque sedet, quando carnem spiritui subjugat et concordat.

10. DISPERSAM QUADRIGAM EX EPHRAÏM. — Theodoretus et Eusebius lib. VIII Demonstrat. cap. iv, censent id factum per Titum et Romanos. Verum hic Judæos duntaxat subegerunt, non Ephraim, id est decem tribus, utpote que jam a quingentis annis a Salmanaas abductæ erant in Assyriam; nec inde redierunt. Adde hic esse sermonem de regno Christi, non Tili. Sensus ergo est, q. d. Christus suo regno, lege et gratia auferet ex Israël et Juda, id est fidelibus Judæis, æque ac Gentibus, quadrigas, arcus et bella, quia pacem mundo afferet. Docebit enim et præcipiet justitiam, humilitatem, concordiam, amorem fraternum, per que lites et bella excludet; ac ad hoc copiosam gratiam et Spiritum Sanctum in fideles effundet. Idem prædixit Isaias cap. n, 4, et Micheas cap. iii, 3. Vide ibi dicta. Ita S. Hieronymus, Hugo, Arias et alii.

ET POTESTAS EJUS A MARI USQUE AD MARE. — q. d. Christus toto orbe, puta tota terra et toto mari dominabitur; nec enim quis toti terre dominari potest, nisi dominetur et mari. Ad multas enim regiones vel nullus, vel difficilis est accessus nisi per mare, ut patet de insulis et Indis tam Orientis quam Occidentis. Ita Rupertus, Remigius, Hugo et alii (2).

(2) Ex collatione aliorum locorum, in quibus similes

Quare arietis aliqui sic exponunt, *q. d.* Christus dominabitur a mari Mediterraneo usque ad mare Oceanum: aut a mari Rubro usque ad mare Palestinum. Haec enim duo maria fuerunt termini terre sanctae promissae Iudaeis, *Nim.* xxiii, 31; Iudei enim alia maria vix norant. Verum esto eo alludat Propheta, tamen amplius intendit et altius assurgit, scilicet id quod dixi. Loquitur enim non tantum Iudaeis sui aevi, sed et Christianis omnibusque hominibus quovis saeculo victuris. Respicit Zacharias ad illud Davidis de Christo oraculum, *Psal.* lxxi, 8: « Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. » Flumen est Euphrates, qui erat limes Iudaeae versus Orientem. Hic Zacharias dicit a *fluminibus*, quia respicit Tigrim Euphrati vicinum et alia quasvis flumina. In huius amplii domini Christi praenuntium et praesagium, Augustus Caesar, sub quo natus est Christus, superato Antonio, Lepido, alisque vel hostibus vel amulis, a Deo effectus est orbis dominus et monarcha. De quo Virgilius, lib. VI *Aeneid.*, ita canit:

Augustus
Christi
praenuntius.

Super et Garamantis et Indos
Proferet imperium: jacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, ubi caesit Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum (1).

11. TU QUOQUE (O Christe, rex Sionis, de quo vers. 9) IN SANGUINE TESTAMENTI TUI (2). — Puta pro meritum et pretium sanguinis tui in cruce ef-

phrases poeticae occurrunt, patet sensum verborum nostrorum esse: Dominabitur in universo orbe terrarum. Completum esse vaticinium in Jesu Christo docent loca *Matth.* xxi, 1-11; *Marci.* xi, 1-11; *Luce.* xx, 28-40; *Joan.* xii, 12-19.

(1) Quomodo fieri potuisset credendum est, ait Flagge qui vehementissime huius partis authenticitatem impugnare conatur (*Die Wettsagungen*, etc. seit. 80, 83), ut Zacharias qui sub ditione Persarum regis vitam degerebat, talia praedixerit? Cui respondemus hanc difficultatem tam priori, cuius authenticitatem confitetur, quam posteriori parti inherere. In prima etenim parte expressis et manifestis praedicitur Iulius magni regis adventus (viii). Ceterum, nomine Jeremiae, dum in Aegypto vivebat, regis Aegypti mortem praedixerit (xvi). Annon Ezechiel inter Chaldaeos manere propheticum fungenis, Babylonis imperii interitum vaticinatus fuerit (xvii, 24)? Annon Aegyptus Zachariae coetaneis potentissima imperia mox finem habitura prophetaverit (ii, 3)? Cur ergo Zachariae non licuisset Messiae pacificum regnum praenuntiare, quod non armorum vi, sed doctrinae et gratiae sua illicebis stabilidum erat?

(2) Juxta Ackermann et d'Alilioli redit Propheta ad tempora, quae adventum Messiae praecessura erant, nomen ad tempora Machabaeorum, in quibus Iudaei Graecis, seu Syro-Macedones vincent, sequae a dominatu eorum expeditur, ita ut sit sensus: Etiam (vel Ideo, ut *Procl.* i, 26; *Eccles.* vii, 21, etc.) te, quod attinet, propter sanguinem foederis, id est, propter foedus cum Abrahamo, et denum cum posteris ejus ad montem Sinai initum firmatumque, dimisit vinctos tuos ex cisterna, in qua non erant aquae, id est, ex carcere, cum antiquissimis temporibus cisterna vacua pro carceribus usui parentur. Nostro loco carcer, seu cisterna vacua symbolum est captivitatis, exilii. Notat insuper Ackermann Septuaginta

fusi, quem quasi lytrum pro vinetis tuis dependisti, eoque omne eorum debitum, puta culpam omnem tam originalem quam actualement perolvisti. Jam sanguis Christi vocatur testamentum, quia illo Christus sancivit testamentum et foedus novum, quod pepigit et conciliavit inter Deum et homines, de aeterna hereditate fidelibus, quasi filiis suis danda. Ita S. Hieronymus, Theodoretus, Cyrillus, Remigius, Rupertus, Lyranus, Vatablus et alii passim. Perperam ergo Chaldaeus et Iudaei haec accipiunt de sanguine victimarum, quo Moses sancivit foedus vetus inter Deum et Hebraeos, *Exod.* cap. xxiv, 8, quo ipsi censent se liberatos a laeo, id est a captivitate Aegypti. Hoc enim hic impertinens est, praesertim cum sit hic continua propheta de futuro, puta de rebis gerendis a Messia, non historia de praeterito. Vide dicta I *Corinth.* cap. xi, 23, et *Hebr.* cap. ix, 15.

EMISIT VINCTOS TUOS DE LAEO. — Ita quoque legunt Septuaginta quos sequuntur Origenes tract. XIV in *Matth.*, S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* xxv, Theodoretus, Cyrillus hic, et Graeci omnes, aequae ac S. Hieronymus, Remigius, Rupertus et Latini ceteri. Chaldaeus vero et Rabbinii recentiores, quos sequuntur Pagninus, Tigurina, Vatablus et similes, longe aliter vertunt: nam in textu hebraeo jam haec omnia sunt feminina, scilicet אֲרָאָה at, id est tu, feminine: בְּרִיתֶךָ beritech, id est testamenti, vel foederis tui, feminine: et pro emisit, Hebraea jam habent שְׁלַחְתִּי schillacti, id est emisisti. Unde sic vertunt et explicant ut sint verba Dei, *q. d.* Tu quoque, o filia Sion, exulta, quia salvaberis in sanguine Christi, quem ipse effundet, ut sanctiat novum testamentum et foedus inter te et me: nam propter eum emisisti, id est emittam vinctos tuos et laeo, puta patres et limbo, resuscitans eos cum Christo. Verum dico textum hebraeum modernum hic esse corruptum, vel a Iudaeis, ut hoc oraculum de Christo corrumpent; vel potius a libraribus. Nam corruptio haec parum juvat Iudaeos, imo eodem cum nostra versione redit, ceditque in magnam laudem Christi. Pro אֲרָאָה at ergo, id est tu, feminine, legendum est addito puncto אֲרָאָה atta, id est tu, o Christe, masculine. Rursum pro בְּרִיתֶךָ beritech, id est testamenti tui, feminine, legendum בְּרִיתֶךָ beritecha, id est testamenti tui, masculine. Denique pro שְׁלַחְתִּי schillacti, id est emisisti, legendum שְׁלַחְתִּי schillacta, id est emisisti. Sic enim legunt Septuaginta, S. Hieronymus omnesque veteres paulo ante citati; et Syrus, qui vertit, solvisti; et Arabicus uterque, qui vertit, dimisit, vel liberabisti. Et haec lectionem exigit ipsa connexio verborum, sensuque integritas: prior enim Iudaeorum lectio est huiusmodi et interca; nam a prima per-

et Vulgatum vertisse schillacti in secunda persona emisisti, quia praecessit feminine אֲרָאָה atta, Iod habuerunt pro terminatione feminea aramea.

sona sensum inchoat, et mox transit ad secundam, in eaque sensum inchoatum consummat. Qua enim coherentia dicitur: Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos? Sane sic dicendum fuisset: Ego quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos. Cum autem in hebraeo non sit אֲרָאָה ani, id est ego, sed אֲרָאָה atta, id est tu, sequitur pro schillacti, id est emisisti, uno puncto mutato legendum schillacta, id est emisisti. Sic enim filium orationis plane cohaeret, ipsaque sententia congrue et integre expletur, dicendo: « Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de laeo. » Et apostrophe Prophetae ad Christum, qua exultans ei gratulatur victoriam de hostibus, praedamque eis excussam ac triumphum. Sensus ergo est, *q. d.* Tu, o Christe, quasi Messias et triumphator ingredieris Jerusalem, ut dixi vers. 9; nam quarto post die in cruce fundes tuum sanguinem, quo novum foedus inter Deum et homines sancies, tuaque morte de morte, peccato, demone et inferno triumphabis. Quocirca mox a morte descendes ad lacum, id est limbum patrum, ut huius tui sanguinis et foederis novi eos facias participes, illisque assignes primitias tuae passionis et redemptionis, quas illi a multis centenis, imo millenis annis avidissime sperant et expectant. Nam die tertio resurgens, pariter resuscitabis eos, tecum et limbo in terram, et e terra quadragesimo die ad caelum ascends, quasi spolia et captivos, sed felici captivitate, in triumphum educes. Ita S. Augustinus *epist.* 99, et S. Hieronymus, Cyrillus et alii jam citati.

Perperam ergo Chaldaeus et Iudaei per lacum accipiunt captivitatem Aegyptiacam, aut, ut Hago et Calvinus, Babylonicam: nam huius solutio non est facta in sanguine testamenti. Adde, utraque temporalis erat, et jamma praeterierat: hic autem agitur de libertate plena et perenni, patribus in limbo detentis afferenda per Christum: est enim propheta de futuris tempore Christi. Perperam rursum Chaldaeus et Beza per lacum intelligunt caelum. Tollunt enim ipsi limbum patrum, docentque animas sanctorum ante Christi mortem ivisse in caelum, non in limbum; qui est error exploratus. Nec enim caelum vocari potest lacus: nec in caelo ulli sunt vincti: nec ex caelo Christus suos eduxit. Lacus ergo est infernus, puta limbus. Ita Patres et Doctores communi consensu, quos citat Bellarminus lib. IV *De Anima Christi*, cap. xi. Denique pro in sanguine testamenti tui, Arabicus vertit, in sanguine mandati tui, quia testamentum hoc a Patre Christo fuit demandatum et praecipuum, et a Christo hominibus, puta fidelibus et christianis.

Ex hoc ergo loco et similibus docet Ecclesia Christum post fsum in cruce sanguinem, puta stam a morte, descendisse ad limbum, ibique mansisse triduum usque ad diem Dominicum quo resurrexit, ac tum patres et limbo secum eduxisse. Limbum vocat lacum, quia est in pro-

fundo terrae juxta ejus centrum; illumque sine aqua, tum quia physice ibi est pura arida; tum mystice, quia caret omni refrigerio et consolatione. Aqua enim quia fatigatum et sitientem in aestu et siti refrigerat et restaurat, hinc symbolum est refrigerii et consolationis.

Mystice, S. Augustinus lib. XVIII *De Civit.* cap. xxxv, per lacum accipit humanae profunditatis et naturae in peccato jacens miseriam et sterilitatem, ex qua homines eduxit Christus in felicitatem, et fecunditatem gratiae et gloriae. Unde et Theodoretus per lacum accipit idololatram: haec enim profundissima et maxima erat scelerrum fovea, aequae ac caelitas et miseria; Clarius vero et Arias per lacum accipiunt legis veteris jugum, quo quasi carcere duro vinciti Iudaei tenebantur, ex quo nos liberavit Christus. Sic tropologie, Christus peccatorem elacu, id est stato damnationis educit, cum eum a peccato ad gratiam traducit, itaque morte de morte, sepulchro suscitavit et vivificavit. Praeclare S. Augustinus *serm.* 181 *De Tempore*, cap. vi: « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Natus est ex virgine, ut nos nasceremur ex Ecclesiae virginis utero. Tentatus est, ut nos a tentatione liberaret. Tentus, ut dimitteremur. Ligatus, ut nos a modo maledictionis absolveremur. Illusus, ut nos ab illusionibus demonum liberaret. Venudatus est, ut nos redimeret. Humiliatus est, ut nos exaltaret. Captus est, ut nos a captivitate demonum perferret. Spoliatus est, ut nuditas primi hominis, per quam mors ingressa est, tegetetur. Spinis coronatus est, ut nos liberaret a spinis peccatorum, vel potius ut monstraret se cum eis coronandum illosque caput et coronam Ecclesiae futuros, qui spinosi erant amando vitam. Aeterno est potatus, ut nos inebriaret dulcedine caelestis desiderii et aeterni gaudii. Postremo in altari crucis sacrificatus est, ut totius mundi peccata deleret. Mortuus est, ut mortis captivaret imperium. Sepultus est, ut sepulturae sanctorum benediceret, et ut nos sibi vilitas et concupiscentis sepeliret. Haec ergo infirmitas Christi superavit omnem firmitatem mundi. »

12. CONVERTIMENTI AD MUNITIONEM. — Puta ad Christum et Ecclesiam, vel, ut Cyrillus, ad legem Evangelicam, quae est arx Christi munitionis (1).

VINCTI SPI (2). — scilicet primo, qui vinculis peccati astricti vinciti a demone detinentur, sed simul habetis spem liberationis, quia speratis re-

(1) Litteraliter, redite ad munitionem, id est Jerusalem, quae hoc loco dicitur munitionem, vel ob protectionem divinam supra cap. ii, 5, promissum, vel quod aliquando, nempe tempore Nebemiae, uris munita futura sit. (Ackermann.)

(2) Vincit spem, scilicet reditus, qui voluit ab antiquis prophetis promissus fuit. Excitantur igitur ii qui adhuc in terra captivitatis suae versabantur, ut facultate redempti in patriam accepta utantur. (idem.)

Vers. 12.

Vincti
spem da-
pliaz.